
DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
PERTRACTANS
HERPETEM,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
NEC NON
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ATQUE
CHIRURGIAE
LAUREA, SUMMISQUE IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS
IN
CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Henricus Hugelmann,
Styrus Graecensis,
Medicus castrensis.



In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae
die 18. mensis Januarii anni MDCCCXXXIV.

VINDOBONAE.
TYPIS VIDUAE ANTONII DE HAYKUL.
MDCCCXXXIV.

PERILLUSTRI CELEBERRIMO

AC

MAGNIFICO

DOMINO DOMINO

JOS. NOBILI A SAX,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

S. C. R. APOST. MAJESTATIS A CONSILIIS,

STATUS MILITARIS SUPREMO NEC NON DIRIGENTI IN AUSTRIA INFER. ET SUPER. MEDICO CAES. REG. ACADEMIAE JOSEPHINAE MEMBRO ACTIVO

NEC NON

PERMANENTIS COMISSIONIS CASTRENSIS RESPECTU SANITATIS ASSESSORI,

ORDINUM CAES. RUSSIAE ST. WLADIMIR QUART. CLASSIS REG. BORUSSIAE RUBRAE AQUILAE QUART. CLASSIS ET MERITORUM CIVILIUM REGNI BAVARIAE EQUITI,

NUMMO MEMORIALI AUREO MAGNO AUSTRIAE CUM CATENA DECORATO

etc. etc.

VIRO

OPTIMO MAXIMO

SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA

NEC NON

HUMANITATE ATQUE CANDORE

AEQUE INSIGNI,

FAUTORI OPTIMO

PRIMA HAEC IN LITTERIS CONAMINA

CEU

PERENNIS VENERATIONIS CULTUSQUE MONUMENTUM

OFFERT

DEVINCTISSIMUS

AUCTOR.

Litteratura.

Montagnana, de herpete etc. Venet. 1589.
Goeckel, Dissert. de herpete. Altd. 1695.
Wedel, Diss. de herpete. Jenae 1703.
Lupini, Diss. de Lichene. Budae 1778.
Roussel, Diss. de variis herpetis specierum causis, symptomatibus. Cadom. 1779.
Poupart's theor. und pract. Abhandlungen v. d. Flechte; aus dem Franz. von Konrad. Straßburg 1783.
Fourney, Diss. de herpete. Nanceyi 1783.
Gempf, Diss. de herpetis natura et causis. Marburg 1791.
Tilesius, Theorie der flechtenartigen Ausschläge ꝛc. Leipzig 1802.
Alibert im Dictionaire des sciences med. Paris 1814. Tom. III.
Vogel, Beyträge zur Naturlehre der flechtenartigen Krankheiten in den allgemeinen Med. Annalen. 1818. Jan. S. 21.
Westphal, die Heilung der Flechten. Quedlinburg 1823.
Belliot der Sohn, neue Methode die Flechte gründlich zu heilen; a. d. Franz. von Dr. Wiese. Leipzig 1828.
P. Frank, de curandis hom. morbis epitome. Venet. 1797. Libr. IV. V.

Marcus, Entwurf einer spec. Therapie. 3. Th. 1. Abth. Nürnberg 1812.

Batemann's pract. Darstellung der Hautkrankheiten nach Willan's System; a. d. Engl. von Hanemann, mit Vorrede und Anmerk. von Sprengel. Halle 1815.

Nußhard, Skizze einer Dermatopathologie mit physiol. Vormerkungen ꝛc. Prag 1816.

J. Frank, prax. med. univ. praecepta Lisch. 1815. P. I. Vol. II. cont. doctrinam de morbis cutis.

A. G. Richter, spec. Therapie. Wien 1830. B. IV. S. 159.

Haase, über die Erkenntniß und Kur der chron. Krankheiten. Wien 1820.

J. N. Bischoff, Grundsätze der Erkenntniß und Behandlung der chron. Krankheiten. Wien 1830. B. 1. S. 261.

Definitio et decursus herpetis.

§. 1. *Herpes* (ab ἑρπειν serpere) formica Arabum, serpigo, sacer ignis [1]), lichen, zona; germanis: die Flechte, der Zitterich, Zittermaale, Schwinden, quaelibet audit eruptio cutanea afebrilis, quae mox longo, mox brevi tempore durans, vesiculis majoribus minoribusve, rubescentibus, aggregatis, fluido lymphatico vel seroso repletis, sensum pruritus provocantibus in conspectum venit, quibus suapte, vel scalpendo disruptis, vel squamulae farinosae, aut furfuraceae, vel crustae, aut exulcerationes nascuntur.

§. 2. Herpes, quamvis partes quasdam praediligat, hisce pertinacius inhaereat, in omni cutis superficie efflorescere potest, vel fixus manet, et ad exiguam plagam solum extenditur, adjacentibus partibus parcens, vel ultro semper serpit, omnemque cutem adgreditur, vel postquam in una parte exsiccabatur, migrando in vicinitate, vel in plagis longe dissitis denuo effloreseit.

§. 3. Herpes vel absque omni prodromo et repente adparet, excepto sensu ardoris et pruritus in cute profundius rubra, vel per plures dies imo hebdomades singularis delassatio et dedola-

1) Celsus lib. V. Cap. XXVII.

tio, anorexia, vehemens cutis ardor et pruritus et dolor antecedunt, et facile praecipue in individuis tenerioribus et sensilioribus turbae febriles adsociantur. Sensim maculae rubrae, vel rubro flavae in obtutum veniunt, vel dispersae, vel confertae ad minorem ambitum restrictae, vel longe lateque distributae, margine inflammato et elevato imbutae, quae primo ad apicem, serius ex integro cum humore seroso fluido pellucido replentur. Fluidum hoc circa tertiam quartamve diem fit lymphaticum, lactescens et spissius, et vesiculae ipsae magnitudine increscunt. Continuus in cute et molestissimus pruritus aegrum ad scalpendum invitat, hoc, vel suapte vesiculae sensim rumpuntur, et fluidum suum effundunt, quod pro diversa herpetis indole, vel acre et odoris foetidi, oleum empyreumaticum, lotium, aut corium adustum redolentis, vel mitius odoris expers est. Pro diversa hac fluidi qualitate partes vicinae cutaneae et profundior textus cellularis magis minusve irritantur, inflammantur, et ad herpetem producendum disponuntur. Si fluidum serosum et mitius fuit, vesicula rupta exsiccatur, quin partes vicinae irritentur, et corrodantur, et in defurfurationem abit; lactescens fluidum pronum est in producendas squammas vel crustas; acre et foetidum facile exulcerationes et herpetem phagadaenicum gignit. Herpes attamen sive in defurfurationem, sive in squamas vel crustas abiit, nequaquam cyclum suum absolvit, denuo enim sub crustis, vel squamis, vel furfure in cute pruriente, quidquam tumida no-

vae generantur vesiculae, quae eadem ratione decurrentes novasque eruptiones sistentes herpetem adeo pertinacem chronicumque efficiunt.

§. 4. Decursus nec non symtomata herpetem concomitantia diversissima sunt. Vix praeter turbas febriles exiguas in stadio prodromorum vel sub eruptione febris revera observatur, quamvis serius ex nimia cutis irritatione, et si herpes majores occupaverit plagas ex impedita transpiratione et sensim contingente omnium humorum corruptione facile adsocietur. Decursus chronicus et longaevus per annos, imo per integram extenditur vitam cum remissionibus vel intermissionibus verno tempore, et exasperatione sub aestate et autumno. Nulli herpes parcit parti, faciem ipsam adgreditur sub forma herpetis labialis vel mentagrae vel crustae lacteae et serpiginosae, rarior attamen observatur in articulationibus et in interstitiis digitorum, Saepius admodum fugax est, in una parte disparet, et ad aliam migrat. Lento plerumque passu solum ad partes vicinas propagatur, nonnumquam citissime omnem cutis superficiem adficit, et vocatur herpes properans [1]), insignis est, haec herpetis species horribili aegri adspectu, omnis cutis abit in callosam degenerationem, vel tenera velut combusta adparet. Crines decolorantur et decidunt, unques decedunt, et tanta in cute fluidi lymphatici foetidi excernitur quantitas, ut aegri vestimenta cuncta inde irrorentur. Pruritus et

1) Vide Richter loc. cit. pag. 162.

ardor cutis tantopere nonnumquam exasperantur, praesertim nocturno tempore, et instante tempestatis vicissitudine, ut insomnium, summa inquietudo, anxietas, continuus in scalpendum nisus, et hac ratione laesiones cutis contingant. Saepius quoque in sequelam continui in cute pruritus in herpeticis observatur major in functiones sexuales propensio.

Si herpes minoris extensionis, vel originis nondum organismo profundius irradicatae est, saepius per longius temporis spatium durare potest, quin manifestas turbas in reliquis partibus systematis reproductivi producat. E contra vero multifarias sequelas tristissimas, ut solenne impetiginibus est, secum fert. Tales sunt, facies pallida, livida et lurida, collapsa vel tumidula et inflata, virium prostratio, dedolatio artuum, digestionis languor, emaciatio corporis, status pituitosus tubi alimentaris chronicus, apud infantes infarctus glandularum meseraicarum, in adultis physconiae viscerum abdominalium, febris hectica, atrophia et hydrops. Saepius in chronico herpetis decursu membranae internae cum epidermide confluentes, mucosae nempe adficiuntur, similisque in illis ut in cute contingit efflorescentia. Facile herpes ad vaginam serpit, ibique exulcerationes, fluoremque album sistit, facile membranam Schneiderianam et mucosam laryngis devastat, et tunc ortui phthysis laryngeae favet. Huc spectat praecipue angina herpetica, quae in infantibus et foeminis herpete laborantibus vel herpete olim exantlato, contaminatis symtomatibus febrilibus,

et deglutitionis molestia stipatur et sub forma pustularum confertarum adparet, quae a tonsillis per omne cavum oris, et ad labia usque propagantur, 6. — 7. die rumpuntur, et in ore in ulcuscula abeunt, in labiis vero decrustantur.

Divisio herpetis.

§. 5. Variae dantur pro formae externae, et pro decursus nec non symtomatum et causarum excitantium diversitate, herpetis divisiones respectu diagnostico et therapeutico momentosae.

Respectu formae efflorescentis herpetis, vel est *circinatus* (die Ringflechte), si vesiculae complures orbiculares cum margine rubescente et elevato adparent, vel *herpes iris*, si herpes prorumpens maculas parvas rotundas offert, quarum quaelibet, annulis concentricis cincta et in centro cujuslibet annuli vesicula flavescente imbuta est. Annuli diversum prae se ferunt colorem, primus fuscum, alter flavum, tertius profunde rubrum, quartus laete rutilantem rosaceum. Notandum in hac herpetis specie praecipue est, quod centro per longum tempus jam sanato in annulis periphericis processus morbosus pertinacissimus haereat.

§. 6. Respectu originis vel est *haereditarius*, vel *congenitus* vel *adquisitus*.

Respectu sedis dividitur in *ex*- et *internum*. Externus cutem occupat, et pro diversa corporis parte diversa obtinuit nomina, v. g. herpes frontalis, labialis, mentalis, sive Mentagra, collaris, praeputialis, periscelis, (ab periscelidibus angustis), ophthalmicus etc. Internus, ubi herpes in

ulteriori decursu vel propria indole maligna a cute serpens, vel transplantatus internas occupat membranas praecique vaginae, intestinorum et cavi oris.

§. 7. Respectu causae dividitur in *idiopathicum*, ubi immediate in cute stimulo quodam contaminata atque irritata efflorescit, v. g. ex sinapismis, et vesicantibus, herpes collaris et periscelis; in sympathicum, ubi ex causa interna ad cutem reflexa oritur, v. g. ex latente quadam discrasia humorum, ex diathesi quadam morbosa, ex vitio se- et excretionum, suppressisque variis profluviis, et in *symtomaticum*, ubi proprie morbum non sistit, sed alios morbos ut symtoma comitatur, e. g. syphilidem. Sympathicus quoque complicatus vocatur. Huic divisioni jure adhuc additur distinctio herpetis in *metastaticum* et *criticum*, cujus valor vi verbi patet.

§. 8. Respectu durationis in tempore in *acutum* et *chronicum*, recentem et *inveteratum*, in spatio vero in *fixum*, ubi constanter unam occupat sedem, in *vagum* seu *migratorium*, qui hinc mox illinc pergens efflorescit, et in *periodicum*, qui sub certis solum circumstantiis in conspectum venit, sic observatur in multis herpes periodicus tempore aequinoctiali, vernali et autumnali, in graviditate, alias disparet sub menstruationis et catameniorum vel haemorrhoidum fluxu, vel superveniente morbo quodam febrili. Subdividitur praeterea quoad spatium in *solitarium* seu *rarum*, ubi singulae hinc inde dispersae vesiculae effloruerunt, in *aggregatum*

seu *confertum*, ubi catervatim complures vesiculae confluunt, majoremque plagam occupant, et in *universalem* seu *diffusum*, si tractu temporis ulterius proserpendo magis magisque expanditur, vel diathesi propria praesente herpetica integram fere cutis superficiem defoedat, atque obsidet.

Plures adhuc subdivisionem herpetis in *endemicum*, *epidemicum*, *contagiosum*, et non *contagiosum* faciunt. Endemice in regionibus calidis simulque humidis grassatur, in insula Java 1), Aleppi 2), Cajennae 3), in regionibus paludosis in littoribus maris 4) vel ubi nimius piscium et ostrearum diversarum fit abusus 5). Epidemicum herpetem observavit Richard 6). Num herpes contagiosus sit, num ab omni contagionis suspicio liber, nondum inter medicos decisum est, negari attamen nequit, ipsum ad homines dispositos facile per contactum transplantari posse, teste experientiae 7).

§. 9. Praecipuam medici attentionem meretur divisio herpetis respectu prognostico et therapeutico momentosissima juxta formae diversitatem.

---

1) Bontius de med. indica lib. I. 20. obs. 17.
2) Haselquist, Reise nach Palästina. Th. II. S. 8.
3) Abhandlungen von den chron. Krankheiten auf der Insel Cayenne, a. d. Franz. Bd. II. S. 35
4) Blum, Versuch einer Beschreibung der in Reval herrschenden Krankheiten. Marburg 1790. S. 146.
5) Trampel, Beobachtung und Erfahrung. Lemgo 1789. Bd. II.
6) In Pouparts Zusätzen loc. cit. 12. 15.
7) Sprengel, Handbuch der Pathologie. Th. II. p. 493.
Tode collect. Havan. Vol. I. obs. 13. p. 96.
Acta nat. cur. Vol. III. obs. 4.

A medicis clarissimis aevi hodierni recepta est herpetis divisio in 5 formas ab Alibert [1]) statuta.

I. Herpes farinosus, furfuraceus, simplex, siccus, benignus, lichen siccus, die mehlige, kleyenartige Flechte, Hautkleye, Kleyengrind, trockene Hautflechte, offert nodulos minimos, rubros, qui sensim cum sensu pruritus valido, in vesiculas oculo armato solum conspicuas abeunt. Cutis scabra rutilansque, quin nonnunquam fluidum quoddam in obtutum veniat, obtegitur pulvere quasi farinoso coloris grisei albescentis cum tenuibus rimis. Pulvere hoc sensim decedente in cute rubicunda aliquantulum madida denuo farinae similis adparet, et exsudatio cum exsiccatione continuo alternat. Ob minimam seri quantitatem vocatur *herpes siccus*, et cum haud symtomatibus periculosis stipetur, *benignus*. Observabatur attamen periculosissimus quoque [2]). Praediligit partes quasdam praesertim articulationes cubiti et genu, faciem, labia, regionem aurium. Fugax admodum est, pruritus, quem in cute producit, non admodum dolorificus et vehemens, sed potius molestus et ingratissimus est. Occurrit praecipue in Individuis temperamento phlegmatico, capillis flavis, cute laxa, tenera, molli instructis.

II. Herpes miliaris, pustulosus, phlyctaenoides, formica miliaris, die Friesel=Blasenflechte, prodromos plerumque offert ante eruptionem, ut

---

1) Precis théorétique et pratique sur les maladies de la peau. Paris 1810. p. 34.

2) Höpfner, Dissert. sistens herp. furf. univ. malig. Berolini 1815.

pruritum validum et ruborem cutis, delassationem, capitis dolorem, statum gastricum sive pituitosum comitem et turbas febriles praesertim vespertino et nocturno tempore. Eruptione facta adparent vesiculae minimae ad magnitudinem grani, milii, aggregatae, pellucidae, halone rubro inflammato cinctae, coloris flavescentis, viridis vel fusci. Vesiculae ruptae effundunt fluidum viscidum, glutinosum, valde foetidum, et exsiccantur in squamas exiguas coloris profunde tincti, pruritu, quem efficit vehementi, aeger summopere exagitatur, praecipue vespertino tempore aeger insomnio laborat, et facile functiones variae reproductionis pessumdantur, et infarctus organorum abdominalium, oedema pedum, in foeminis fluor albus, vel amenorrhoea, imo et febris lenta pituitosa adsociantur. Vocatur dein passio haec signis talibus gravissimis stipata, tabes herpetica (die Flechtensucht), quae praecipue infantes et sexum sequiorem adgreditur, praesertim in annis climactericis, et per menses, imo annos excurrit. Saepissime haec herpetis forma in mento adparet (Mentagra), vel in antibrachio et crure, in perinaeo. Praecipuam attentionem meretur vero herpes *praeputialis.* Noduli minimi in praeputio confluunt, et ulcuscula formant cum fundo lardaceo, margine calloso, eroso et profunde rubro, adeo ut similia sint ulceribus syphiliticis. Differunt attamen, quod circa 14. diem suapte in crustas exsiccantur. Nonnumquam vesiculae hujus formae herpeticae tantam attingunt magnitudinem, ut bullas similes, ut in pemphigo forment, et fluidum odoris empy-

reumatici soleas combustas redolentis magna quantitate effundant. Herpes miliaris chronicus plerumque est, et facile sequelas antea enumeratas, tristes producit, saepius quoque periodicus observatur. *Eczema* Willani ad hanc speciem spectat, occurrit in infantibus scrophulosis, laxis et immundis, praecipue vero foeminas in annis climactericis, et hystericas adgreditur. —

III. Herpes crustaceus (impetigo Willani) die Borkenflechte in conspectum venit parvis inflammatisque pustulis, quae vel aggregatae vel solitariae sensim confluunt, halone rubescente cinctae (herpes crustaceus figuratus, die geformte Borkenflechte) vel solitariae manent, (herpes crustaceus, sparsus zerstreut stehende Borkenflechte). In omnibus corporis partibus excepta parte capitis capillata efflorescit, in facie similis est crustae lacteae et serpiginosae. Pustulae ipsae effuso fluido abeunt in crustas fuscas, splendentes, albas, citrinas, vel nigro viridescentes, quae saepe adeo crassae sunt, ut cutis cortice arboris involuta esse videatur (herpes crustaceus, scabidus, dickschorfige Borkenflechte) et si extremitates occupat, hae admodum tumidae et oedematosae visuntur. Semper vehementi pruritu, erythemate, similique ac in erysipelate dolore herpes hic incedit, exasperantur haec symtomata crustis sensim decedentibus. Nonnunquam haec forma cum inflammatoriis symtomatibus adparet, cum febri valida, magno cutis ardore, et rubore totius cutis profundo, et supra cutem inflammatam elevantur pustulae hinc inde dispersae, vocatur dein herpes crustaceus erysipelatodes, die rosenar-

tige Borkenflechte. Etiam in crustis ipsis quaedam observatur diversitas, vel est herpes *siccus*, si fluidum solum delapsis crustis transsudat, vel *humidus seu madidus*, si inter crustas rimae oriuntur e quibus fluidum acre propululat. Cum crustae nonnumquam firmiter cuti adhaereant, et excretio fluidi intercipiatur, facile sub crustis exulcerationes contingunt. Decursus hujus herpetis plerumque chronicus est, praediligit infantes cachecticos, scrophulosos, parentibus arthriticis, syphiliticis editos, nec non adultos dyscrasiis variis contaminatos, cum cute laxa, tenera, saepius excipit refrigerium cutis, saepius criticus est in febribus biliosis, intermittentibus, et inflammationibus organorum abdominalium, symtomatice quandoque adsociatur praesentibus digestionis anomaliis. —

IV. *Herpes squammosus* (Psoriasis Willani) die Schuppen=Panzerflechte manifestatur inflammatis rubris irregularibus supra cutem parum elevatis maculis, quae serum effundunt, in squammulas glabras, tenues, semipellucidas, vel in scabras et sulcatas, exsiccant. Herpes hicce vel topicus est, ad plagas quasdam restrictus, praesertim ad faciem, mammas, ad perinaeum et genitalia; vel universalis, qui sensim omnem cutis superficiem obtegit, et sulcos profundiores format, e quibus lympha continuo exsudans in squammas flavescentes, crassasque exsiccatur, quae in centro arctius cuti junctae, sensim a peripheria versus centrum a strato inferiori solvuntur, et foveolam velut ab variolis, successu temporis attamen disparentem

formant. Hic herpes praecipue membranas mucosas oris, intestini recti, vaginae adgreditur. Si ad altius fastigium increscit, magnam cum lepra monstrat analogiam, et propterea Psora leprosa audit. Ob continuum hujus herpetis nisum partes adjacentes vastandi, vocatur etiam Lichen ferox, seu herpes vivus. Propria ejus species est herpes squammosus centrifugus, qui volam manus, et herpes squammosus ophtalmicus, qui palpebras occupat. Facile huic herpeti adsociantur symtomata periculosa, oedema pedum, ascites, hydrothorax, anasarca.

Pro formae diversitate subdividitur in:

a. *Psoriasim guttatam* die tropfenartige Schuppenflechte, quae minimas duarum vel trium linearum magnitudinem non excedentes maculas offert, et frequentissime praecipue tempore verno in infantibus nec non in adultis labia, dorsum, praeputium, scrotum et extremitates accupat.

b. *Psoriasis diffusa*, die ausgebreitete Schuppenflechte, efflorescit maculis irregularibus, scabris, rubris, striatis et sulcatis. Familiaris est in lotricibus, piscatoribus, sartoribus, fodinatoribus, occupatque manus, hinc quoque palmaris audit.

c. *Psoriasis gyrata* tigriformis, variegata, hieroglyphen = tiegerförmige, panaschirte Flechte, insignis est mira saepius macularum forma, v. g. anguiformi, annulata, orbiculari, concentrica etc.

d. *Psoriasis inveterata*, die veraltete Schuppen-

flechte, eo tantum eminet, quod squammae, si herpes diu duravit, adeo crassae evadant, ut corio vel cortice arboris involutae videantur partes, motusque impediatur, vel penitus tollatur.

De omnibus hisce formis ingenere valet, quod vel siccae vel humidae esse possint. Herpes humidus ob majorem cutis pruritum et tensionem, nec non, quod fluido partes adjacentes irrorentur semper periculosior est.

V. *Herpes vorans*, depascens, exedens, rodens, malignus, phagadaenicus, formica corrosiva, ulcus herpeticum, Noma, ignis sacer, herpes esthiomenus. Die bösartige fressende Flechte, Flechtengeschwür. Sub summo ardore, inflammatione, saevissimo saepe cutis pruritu, et symtomatibus febrilibus pustula a magnitudine pisi ad illam nucis avellanae efflorescit, quae brevi tempore rumpens effundit materiam ichorosam corrodentem, causticam, foetidam, saepiusque cruentam, quae partes adjacentes protenus destruit, plaga ipsa in ulcus abit, quod sub doloribus aegrum valde excruciantibus extenditur insimulque profundius serpit. Crustae quidem in ulcere formantur, sed luridae, viscidae moxque decedentes, ulcus fit decolor, sanies secernitur admodum foetida, ulcus tandem sanguinem plorat et vel gangraenosum, vel putridum fit. Passio universalis mox ab ortu hujus herpetis praesens continuo increscit. Doloribus vehementibus somnus turbatur, digestio pessumdatur, colliquativa diarrhoea adsociantur, organa abdominalia praecipue hepar intumescunt,

cachexia universalis habitu externo patefit, febrisque lenta, hectica cum symtomatibus consumtionis, oedemate pedum et hydrogenesi universali scenam claudit. In gradu majori dolores lancinantes, cunctaque alia carcinomatis praesto sunt indicia, adeo ut vix inter hos duos morbos atrocissimos in ulteriori decursu differentia observetur.

Faciem praesertim occupat et quidem labium superius, vel alas nasi, et sensim omnem faciem devastat, ulteriusque semper serpit, ad omne corpus transplantatur, internam insimul corporis superficiem adgreditur, per aures et os ad oesophagum, tracheam et pulmones descendit, per urethram et vaginam ad vesicam, vias uriniferas et uterum deportatur, ubique vestigia destructionis relinquens. Vasa lymphatica et glandulae ichore replentur, ossa ipsa carie vastantur. Complicatio hujus herpetis cum scorbuto, syphilide, scrophulis praecipuam malignitatem et eventum cito tristissimum secum fert. Nulli aetati, generique parcit, praecipue tamen in scrophulosis occurrit.

Decursus varius est, nonnumquam symtomata varia adsociata vitam paucis hebdomatibus destruit alias per annos quoque aeger sibi et omnibus reliquis onus et horribilis adspectus vitam agit tristissimam.

§. 10. Ex his, quo modo exposita fuere symtomatibus facile differentia herpetis a compluribus morbis, quoad formam, decursum et indolem similibus patet. Herpes farinosus similis est Erysipelati, guttae rosaceae et pityriasi. Erythema autem et gutta rosacea neque prurit, neque dolet,

neque serpit, atque rarissime ad mentum, quod herpes praediligit transplantatur. Pityriasis vero semper sistit morbum cutis idiopathicum, nullae vesiculae fiunt conspicuae, et squammulae cito pulveris farinosi instar absterguntur. Herpes miliaris similis est exanthemati miliari, zosteri, hydroae, exanthemati miliari, mercuriali, psorae, psydraciae, ulceribusque syphiliticis. Differt vero herpes a miliaribus, defectu febris essentialis, et decursu magis chronico, ab zostere, quod hic determinate et distincte solum certae plagae a scapulis ad regionem hypochondriacam inhaereat, nullamque ulterius serpendi propensionem ostendat. Ab hydroa, quod haec symtoma sit morborum febrilium, praecipue febris intermittentis, quod admodum fugax sit, et crusta delapsa denuo non resuscitetur, et ab hydroa sudorifera, quod haec cito dispareat, herpes vero chronicus sit. Ab exanthemate miliformi, mercuriali, quia hoc citius dedecurrit, symtomatibus catarrhalibus stipatur, et causa morbi praegressa, nimirum abusus mercurii cognita est. Scabies, quamvis herpeti admodum similis sit, eo tamen differt, quod ab initio singulae et dispersae pustulae adpareant, praecipue in articulationibus digitorum et membrorum, porro quod psora rarissime faciem occupet, et praeterea proprio pruritu, qui praesertim nocturno tempore calore lecti exasperatur, de die et influente frigore minuitur, a psydracia, haec enim causis externis originem debet, numquam ulterius serpit, nullum vel saltem exiguum cutis pruritum et ardorem provocat, et facile justo

tractamine sanatur. Herpes praeputialis autem differt ab ulceribus syphiliticis, haec enim praegressus est coitus impurus, herpes sua sponte emergit, in ulcere herpetico adparent squammulae, quae sensim disparent, et plagam sanam relinguunt, ulcera syphilitica continuo ulterius serpunt, suapte numquam, herpes vero suapte sanari potest. Num differentia revera inter ulcera leprosa vel cancrosa, et herpetem exedentem et exulceratum existat nondum definitum est, in utroque casu summa humorum et solidorum cachexia subsumi debet, et in utroque casu eadem methodus tractandi commendata analogiam sat clare contestatur.

Terminationes herpetis.

§. 11. Herpes ut jam supra dictum fuit, nonnunquam brevi tempore cyclum suum absolvit et in sanitatem abit, desquammatione et restitutione cutis normalis, si individuum bene constitutum, morbus recens et idiopathicus est, si minorem plagam occupat, si causa cognita auferri potest, si therapia nondum perversa adhibebatur, et remedia convenientia praesto sunt. — In morbos alios, praesertim si herpes complicatus fuerit cum scrophulosi, syphilide, arthritide et quidem vel per retropressionem impetiginis florentis a cute, vel per metaschematismum, ubi facile diarrhoea, status pituitosus, phtysis pituitosa, catarrhi chronici, asthma, fluxus aurium, fluor albus et blennorrhoea, stagnationes in hepate, liene et glandulis meseraicis, scirrhus ventriculi, corporis

marcor, icterus, hydropes varii, nec non inflammationes fere omnium organorum oriuntur, praesertim chronica peritonaei, pulmonum, cordis, aortae inflammatio. Non minus periculosae sunt herpetis metastases ad systema nervorum, ubi dein vertigo, amaurosis, spasmi varii generis, paralyses et pareses, apoplexia, epilepsia, mania, hypochondria, hysteria, melancholia insequuntur. — In mortem herpes phagadaenicus facile, reliquae herpetis formae vero per morbos modo enumeratos transeunt, si feroces et diuturni, dolores excruciantes, si jactura humorum nimia, digestionis imbecillitas, ulcera pessimae notae, febris tabida, colliquativa vires aegri celeriter exhauriunt, vel metaschematismus lethalis ad organa nobilia contingit.

Aetiologia.

§. 12. Quae causa herpetis proxima sit, nondum inter medicos definitum est. Putant nonnulli ipsam sitam esse in inepta materierum secretione, quae proprie per cutem excernendae forent. Alii [1]) ex impedita Azoti et principii urici excretione per renes herpetis originem explicant. Non minus eronea est opinio [2]) herpetem non situm esse in propria cutis degeneratione, sed potius in digestione et cholopoësi vitiata; quae efficit, ut humores acres in rete malphigi effundan-

1) Weinhold der Graphit als neu entdecktes Heilmittel gegen die Flechte. 1808.
2) Schelvers Journal der Naturwissenschaften und Medizin. Bd. I. St. 2. p. 267.

tur, qui epidermidem destruunt, pruritum et herpetem producunt. Trampel [1]) empyreuma quoddam cutem infestans ut causam herpetis adcusat. Recentiorum complures putarunt herpetem oriri ex animalculis sub cute nidulantibus, alii ipsum explicant ex defectu gelatinae animalis in cute, hinc tanta ejus fragilitas et in lichenes producendos nisus.

§. 13. Omnes tamen hae opiniones de herpetis origine insufficientes sunt, et Clariss. Dom. Profess. Bischoff [2]) theoriam proponere audeo. Causa herpetis proxima consistit in specifica cutis inflammatione, quam calor, ardor, rubor, pruritusque sat clare contestantur. Haec inflammatio autem rarissime solum ut adfectio localis consideranda est, saepissime enim reflexa est a specifica sanguinis mixtione, quae a compluribus diathesis seu dyscrasia herpetica vocatur, et quae ut vitium systematis reproductivi praesertim in provincia vasorum lymphaticorum in conspectum venit. Haec dyscrasia herpetica saepius cum dyscrasia scrophulosa, arthritica, syphilitica, scorbutica juncta est, vel ex hisce oriebatur, et formae diversitates offert, prout impetigo magis systema vasorum capillarium, vel rete malphigii, vel cutem propriam contaminat. Hoc respectu singulas herpetis formas considerantes videmus herpetem furfuraceum prae se ferre characterem inflammatorium, et analogiam cum Erysipelate, in herpete miliari magis adfici partem systematis capilla-

1) Beobachtung und Erfahrung. Lemgo 1789. Bd. II. p. 104.
2) Vid. loc. cit. p. 268.

ris venosam; (hinc analogia cum miliaribus) in herpete phagadaenico magis characterem putridum et dissolutionis praevalere, unde ejus similitudo cum scorbuto et cum variolis putridis patefit.

§. 14. Causae herpetis ipsae dividuntur in praedisponentes et excitantes, ultimaeque iterum subdividuntur in locales, idiopathicas, sympathicas et universales.

Praedispositio. Quamvis herpes nulli aetati generique parcat, praesertim tamen juvenilem, rarius infantilem aetatem senesque adgreditur. Foeminae praesertim in pubertate, dein sub graviditate herpeti sunt obnoxiae. Dispositio haereditaria in herpetem negari non potest, cum saepe integrae familiae hoc morbo plectantur. Singularem proclivitatem etiam producunt variae cachexiae, dyscrasiae, systematis glandulosi et lymphatici nec non organorum abdominalium, praesertim systematis cholopoëtici vitia diversa, praedisponunt praeterea clima quarumdam regionum e. g. Lombardiae, vicinitas maris, athmosphaera frigida, humida, et nebulosa, porro temperamentum cholericum, cutis nimis tenera et laxa, vel vicissim crassa et iners.

Causae excitantes locales sunt vel:

a) *idiopathicae*, quae cutem immediate adficiunt, et vegetationem ejus, se- et excretiones cutaneas alterant, hinc supressa cutis transpiratio, immundities, attritus et frictio cutis per vestes, praesertim ex panno, lana et pilis confectas, vestimentis nimis angustis, v. g. collaribus, strophiis, zonis, periscelibus nimis coarctantibus, ci-

ta temperaturae mutatio quaelibet praesente prae-dispositione, irritatio cutis frictionibus, unguentis et emplastris, oleo rancido, vesicantibus et sinapismis, contusio vel ictus cutis, praeterea contagii herpetici transplantatio per contactum.

b) sympathicae ad herpetis originem contribuentes frequenter ex organis digestioni inservientibus oriuntur. Tales sunt colluvies acida, rancida primarum viarum, abusus ciborum pinguium, salsorum, et fumatorum, vini acidi, piscium nonnullorum et ostrearum, in infantibus mala lactis conditio, laxitas, induratio vel tumor organorum abdominalium, suppressio excretionum sive physiologicarum, sive pathologicarum, (si in ordinem naturalem susceptae sunt) ut imminuta urinae excretio, fluxus haemorrhoidum, menstruationis et lochiorum suppressus, (hic tam frequens in gravidis et puerperis herpes), suppressio sudoris pedum, vel blennorrhoearum, intempestive clausa ulcera sive naturalia, sive artificialia, lactis excretio impedita. Nonnumquam herpes oritur praesentibus profusis evacuationibus, praesertim onania et abusu veneris, vel nimio veneris flagitio.

Ad causas universales spectant aër impurus, humidus, nebulosus, vita sedentaria, animi adfectus et pathemata ut ira, terror, moeror et tristitia, praeterea variae cachexiae et dyscrasiae, ut scrophulosis, arthritis, syphilis, scorbutus et diathesis carcinomatosa.

Prognosis.

§. 15. Quam ardua et difficilis prognosis in herpete instituenda sit, ex his quae modo de indole et forma morbi dicta fuerunt, patet. Saepe herpes sub forma mitiori adparens, pertinacissimus est, vicissim universalis et malignum characterem jam minans facile ad sanitatem revehitur. Herpes, qui ex causa locali oriebatur, plerumque cito sanatur, internis causis provocatus, praesertim si medicum fugiunt, pertinax per menses, imo per annos, et integram vitam excurrit. Si herpes super annos climactericos duraverit, raro cedit.

Herpetis periculum praesertim ex dupplici fonte manat, ex retropressione ejus, et ex nimia ejus vehementia, malignitate, duratione et ad omne corpus extensione. Hinc semper respiciatur subjectum, in quo occurrit, num juvenile et forte, vel senio confectnm, et cachectum sit, respiciatur duratio et extensio herpetis, pars corporis, in qua effloruit, causa ejus, nec non forma. Sequentia prognosim faustam admittunt momenta, ut fortis et juvenilis aegri omni labe cachexiae immunis constitutio, causa herpetis cognita, et concessa ipsam amovendi facultas, exigua morbi et ad tempus et ad spatium extensio, minor partis, quam herpes occupat dignitas et forma herpetis benignior. Sic herpes furfuraceus et miliaris facilius, difficilius crustosus, difficillime phagadaenicus sanatur. Etiam herpes formae mitioris haud spem sanationis admittit, si vel

haereditarius, vel longiori decursu habitualis evasit.

Complicatione herpetis cum aliis cachexiis praesente nunquam prius herpes ipse sanari potest, nisi prius fugatis cachexia, et aliis complicationibus.

Therapia.

§. 16. Principale in herpetis therapia axioma sequens est:

Sedulo perpendi debet, an herpes in quocunque casu curandus sit, nec ne. [1]) Quam primum medicus agnoverit herpetem nil esse, nisi conamen criticum naturae ad eliminandos morbos internos, vel esse organon secernens vicarium, admodum cautus et providus ab omni remedio desistat medicus, et tunc solum ad remedia confugiat, si herpes vel extensione, vel gradu, vel indole sua periculosior incipiat videri.

Ubi autem rite omnibus hisce computatis, sanatio herpetis tentari potest, prima et summa therapiae indicatio est: amotio causae et praedisponentis et excitantis.

In herpete idiopathico therapia simplicissima sufficiet ad impetiginem extinguendam; in sympathico respiciatur strenue passio profundior organismi, quae ad cutem reflexa hujus affectionem produxit. Pro causae sive hujus adfectionis diversitate, diversa quoque exposcuntur remedia.

---

1) Chaussier; an herpetes in quocunque casu tractandi? — Montpell. 1785.

Prima remedia petantur ex poenu diaeteticorum et regiminis justi. Hic conducunt corporis et vestimentorum mundities, reiteratae lotiones et balnea, aër serenus, siccus, temperatus, nullis repentinis mutationibus obnoxius, domicilia pura, vestes amplae e materiis blandis cutem non irritantibus confectae, diaeta stricta et cuilibet constitutioni adcommodata, hinc mox vegetabilis et temperans, mox in debilibus et exhaustis nutriens et roborans, bilis et urinae secretionem adjuvans, semper tamen digestu facilis, pro potu aqua, vel modicus vini generosi usus, praeterea peregrinationes in regiones amoene collocatas, usus thermarum vernali et aestivali tempore, animus tranquillus et serenus, tandem continuus omnium se- et excretionum respectus, ut recto procedant ordine. Hisce adminiculis recte adhibitis in casibus mitioribus omnis therapia absolvi et herpes fugari potest.

Secunda non minoris ac prima valoris indicatio est:

Herpetem ipsum tractandi, et hoc dupplici modo iterum instituitur, juncta vel remediis ex— vel internis, vel utraque methodo. —

Ad remedia interna spectant: *a)* Vegetabilia, quae diuresim, et diaphoresim promovendo et mitissime processum vegetationis alterando salutarem non denegabunt effectum, ut Stipites Dulcamarae, Bardanae, Carex arenaria, Scabiosa arvensis, Fumaria, Saponaria, Viola tricolor, Lapathum acutum, Enula, Sassaparilla, Guajacum, nec non si herpes prae se ferat characte-

rem malignum, phagadaenicum, gravibusque doloribus stipatur, Extractum Aconiti Napelli, Cicutae, Pulsatillae nigricantis. *b*) Acida non solum vegetabilia, verum et mineralia, praesertim, si Diathesis scorbutica et nisus humorum in dissolutionem adest. Praesertim acidum nitricum [1]) valde commendatur.

c) Graphites, quem Weinhold prae aliis commendat, cujus attamen virtus admodum anceps videtur, nec experientia satis comprobata est.

d) Sulphur, non adeo pro usu interno pulvis, sed potius thermae hydrothionicae praestantissimum exserunt effectum, expediendo cutis transpirationem, et sanguinem arteriosum concitando, et sic metamorphosim alacriorem totius organismi inducendo. *e*) Majori adhuc laude commendari merentur remedia antimonialia et praeparata mercurii, quae fortiter omne systema lymphaticum alterando, insimul, si complicatio syphilitica, scrophulosa vel arthritica praesto fuerit, hanc tollendo, citam herpetis sanationem inducere valent, dummodo rectus usus, et praeparatorum singulorum strenuus respectus habentur. *f*. remedia purgantia praesertim antiphlogistica solventia valent in primis herpetis stadiis, si inflammationis notae adsunt, nimiusque sanguinis ad cutem impetus minatur. Serius quoque valent, quia herpes plerumque alvi obstructionibus stipatur, numquam tamen ab ipsis cura radicalis ex-

---

1) J. Frank loc. cit. Pars I. Vol. II. p. 454.

spectetur, nec adhibeantur, ubi materiae consumtio jam adest. Placent ex his remediis praesertim fructus aciduli, succi plantarum expressi recentes, serum lactis tamarindinatum, cremor tartari, calomel. —

g) Remedia tonica, quibus etsi immediate herpetis sanationi non prospiciatur, languenti et admodum laxo ventriculo succurritur, indicantur, si herpes ex digestionis debilitate ortus est, vel chronice excurrens varias in reproductione produxit anomalias. Huc spectant remedia amara et amaro-aromatica adstringentia.

§. 17. Expositis modo remediis interne hucusque ad herpetem fugandum commendatis remedia externa recensenda veniunt, quae cuti immediate adplicata majori adhuc pollent virtute efficaci. Primo loco collocentur *a*) Balnea, quae in omni herpete ad sanitatem multum contribuunt, imo pro se restituere possunt, cum et cutem mundent, functiones ejus expediant, et ad suscipienda alia remedia aptam reddant, vel simplicia, vel saponacea, vel cum decoctis emollientibus Malvae, Lini, Amyli, vel cum lacte parata ordinentur. Si complicatio arthritica praesto est, thermae sulphureae et praesertim embrocationes ad partes adfectas in magno debilitatis gradu balnea martialia exoptatum non denegabunt effectum. Fomentationes similem exserunt virtutem ex decoctis vel infusis emollientibus blandis, vel cum aqua vegeto-minerali Goulardi, cum solutione Sublimati corrosivi, (sed cautissime) succo citri, calomelis in aqua calcis, vel ex acidis minerali-

bus, vel ex chlorina paratae. Ubi, in quali herpetis specie et charactere unum aliudve horum remediorum conveniat, facile patet.

b) Unguenta, vel blandissima ut oleum olivarum, amygdalarum recenter pressum, butyrum Cacao, insulsum vaccinicum, cremor lactis, vel remediis variis parata, velut unquentum sulphuratum, saturninum, oxygenatum, ex graphite paratum, mercuriale, cinereum et citrinum, nec non unguentum balsamico narcoticum, cum pulvere arsenicali juxta Helmundi formulam conjunctum.

c) Emplastra, quae a nonnullis commendantur tum quid praestant, si herpes circumscriptas occupat plagas, vel stimulo fortiori permanente opus est, vel accessus aëris, attritus vestium, aliarumque potentiarum externarum arcendus est. Multa ante dictorum remediorum forma emplastri adhiberi possunt. Emplastrum cantharidum solum adhibeatur, si torpor partis herpete adfectae adest, et crustae non dehiscunt, sed caute, cum non solum dolores atrocissimi, verum et exulcerationes malignae ejus excipiant adplicationem.

d) *Derivantibus* in quolibet herpete diutius durante et profusa secretione incedente, numquam carere possumus, ut fonticulis, setaceis etc.

§. 18. Memoranda adhuc est therapia, si retrocessus herpetis ad interna fit. Hic praeter strenuum respectum ad causam retrocessus, exposcuntur remedia, quae herpetem ad plagam revocare valent, ut vestes laneae, vel tela cerata

cuti nudae imposita frictio superficiei corporis, embrocatio corporis, illinitio partis cum tinctura cantharidum, balnea tepida praesertim sulphurea, camphora et remedia antimonialia interna, praeterea externe unguentum ex tartaro emetico, fonticuli, sinapismi, urticationes adhibeantur.





Theses defendendae.



1.

Potest sponte oriri corpus organicum.

2.

Fluida in corpore animali facultate vivendi gaudent.

3.

Non est certus inter plantarum et animalium organisationem terminus.

4.

Herpes contagiosus est.

5.

Paracenthesis thoracis in hydrope pectoris commendanda est.

6.

Vermes intestinorum et sanitas perfecta una consistere in corpore humano nequeunt.

7.

A matre prolem lactari salubrius est, quam a nutrice.

8.

Praeparatio infantis salvi ad insitionem variolarum superflua, imo noxia est.

9.

Graphites in herpete haud specificum sistit remedium.

10.

Sanguis immediate et immutatus a matre ad foetum non redit.

11.

Tutius est ad coërcendas haemorrhagias ligatura uti, quam compressione.

12.

Ulcera artificialia in Phtysi consummata adplicata mortem accelerant.

13.

Quo celerior respiratio, eo celerior quoque sanguinis motus, ab hujus autem aucta celeritate respiratio non frequentior.

14.

Magna est hyrudinum vis ad ophthalmias sanandas.

